



VERA EFFIGIES S. PII V. PONT.
MAX EX ORDINE PRAD



pletas aD oMnIa VtIIs,
In saCrIIs
pagInIs proLata,
In beato pIo V^{to} sanCtIIs
aDVnato
CoMpobata,

D U M

Sub Sacra Canonizationis suæ Solemnitate,

I N

Basilica S. Mariæ Magdalenaæ,
Micro - Pragæ , Sacri Prædicatorum Ordinis ,
Oratione Panegyrica est salutatus

A

P. Silvestro à JESU Crucifixo, Ord: Eremit:
Discal: Sandi AUGUSTINI, Sacro-Sandæ Theologiaæ Lettore.

Kalendis Maji.

VETERO - PRAGÆ ,

Typis Joannis Wenceslai Helm.

HONORI
ET
VENERATIONI
ILLUSTRISSIMI
DOIMNI DOMINI

A D A M I

Sac. Rom. Imp. Comitis LA-
SHANSKY, Liberi Baronis de BUCKOWE,
Domini in Bratronicz, Woseckh, Mladiegowicz,
& Pernaticz, Sac. Cæsar. Regiæque Maje-
statis Cammerarij,

Domini, Domini,

AC

MECOENATIS GRATIOSISSIMI.



*ILLUSTRISSIME
DOMINE DOMINE
S. R. I. Comes
MECOENAS GRATIOSISSIME.*

 Ulsit Adam primus in Paradiso , Tu
Adam Illustriſſime nites in Majo , ille
donō , Tu Virtute Pietatis , ille in
DEUM , Tu in Sanctum , ille infusā ,
Tu acquisitâ PIUM Quintum pollens pietate ;
Uterque pius ! primus Adam à dono , Tu alter Illu-
ſtrissime à virtute erga sanctum PIUM , Te Romanæ
Canonizationis primas sancti PIJ Boëmo in Regno
dies Solemnitatis primâ Maji piè illustrante , PIÓ
primas Tui kalendas Maji morte & beatificatione
piè decorante . Ambo in alterutrum pij , uterque
alteru-

alterutri utiles, ambo majales. Verùm ut nitidior & floridior Tuus Illustrissime Mecœnas reddatur & transeat in Paradisum majus, patere ex Tua pietate kalendis maji pro Feste & gloria floris Majalis sancti PIJ pietatem panegyricæ orationis domus Magdalenaæ Illustrissimo inferi Tuo pietatis erga Sanctum PIUM Majo.

Irrigabit quod Tu plantâsti & plantas pro Sancto *PIO* in Majo, Magdalena, ut una sit & Tua Illustrissime Domine Mecœnas, & piè lachrymantis Magdalenaæ in *PIUM* pietas : quia pius Es. Patere ergo & prosequere Tua pietate, quam Tibi sua ex pietate panegyrim in gloriam Neo-Canonizati Sancti PIJ piè D.D.D.

Illustrissimæ Dominationis Tuæ

Tota Domus Pragæ
Sanctæ Mariæ Magdalenaæ
FF. Ord. Prædicat:

ORATIO.



Olumbinas Sacratissimæ Pietatis fibras, acutiore
mentis indagine, pro rostris scrutaturus Orator,
vel ad ipsas Cardineæ aras, quosvis anatomicè in-
spectæ heroicæ virtutis atomos, in celfissima mon-
tium cacumina assurgere, minimamque ejus par-
tem, majorem toto sublimioris eloquentiæ the-
sauro comperio. Decerter licet chara Juris - prudentiæ Soboles,
suam assertore Tullio, cuique tribuens dignitatem, pro purpurata
Matre, quæ in primis moratur dicasterijs, primas in tribunalibus
occupat cathedras, regnorum regentumque decore; nilominus
seclusâ largissimâ pietatis luce, exilem statuisse videtur radium, exi-
guamque in tanti fulgoris comparatione, aperuisse rimam Enclo-
miaſtæ.

Extollant licet, calcaribus gloriae acti, munificentiam
Principum in ædibus alienis, pro domo sua Cicerones, cristatisque
Phaëtonis quadrigis, super astra evehant virtutem, quâ ceu ful-
gente diademeate, redimiti, rutilant Principum vertices, vi quadam
magneticâ clientes, etiam in summè ardua trahentes obsequia,
plaudentesque manibus, ore Senecæ vociferentur: *nihil charius* Senec: l.
estimamus quam beneficium; spreta tamen pietatis ope, deturbatos se
in Eridanum experientur: *beneficium enim, debet exhiberi per pietatem.* Greg: lib: ral:
Deprædicent aquilinis, ad aurifluas usque Jovis volas, pro-
moventes alis, excellentissimas virtutum intelle&tualium, scienti-
am, ac sapientiam Philosophi, proque sua parte, advocatione
constituant Regum sapientissimum: *præposui*, inquit ille, *sapientiam re-*
gnis & sedibus, & diuitias nihil esse duxi in comparatione illius, nec
comparavi illi lapidem pretiosum: quoniam omne aurum in comparatione
illius arena est exigua, & tanquam lutum, estimabitur argentum in con-
spectu illius. Deprædicent inquam, portantesque omnia sua Sap: c:;
secum Biantes, præferant Musæa Palatijs, argumenta tormentis, con-
ceptus mentis validis exercitibus; si scientiam non propinet pietas,
cribro aquas haurient: *nulla enim est scientia, si utilitatem pietatis non* Greg: l. n.
babet. Nec immerito, pietas etenim, est ad omnia utilis: *sine qua* Petri: Chi
justi-

¶ 145. de *justitia crudelitas est*: sìne qua, munificentia, hospitis Calabri largitur
pr: Chr: munera: sìne qua scientia, & male ignorat, & bene ignoratur, Pi-
etas! pietas! modestiæ & pudoris conservatrix, mortificationis in-
pectore sculpit insigne, evertit sales & facetias, destruit lepores,
lepidasque dicacitates, medetur insolenter erumpentibus verbo-
rum inanum pestibus, extrà se sparsum animum recolligit, obtusam
cordis aciem acuit, extinxit Divini amoris lucem reaccendit, ar-
idos mœrore animos frugifero fui alluvio, in campos vertit Elysi-
os, recteque vivendi normam exhibendo efficit, quod hæc, quæ
alijs in exemplum proposita fuerat, mordicitus ac sìne errore tene-
atur.

ard: in
id: epift:
sl: c. 4.

O! clementissima pietas, quæ sua non definit largiri beneficia!
Quære famelicum sequentem Christum in deserto, pietas saturabit: adducito à nativitate cæcum, pietas illuminabit: indica nudum pudoris ergo quæritantem latibula, pietas operiet: producito omnium inopem, pietas necessitatibus succurret: deffessum assigna Sisyphum, pietas confortabit: sub jugo Ægyptiaco sese incurvantem offer Israëlitam Tanicum, pietas eriget, & liberabit: da vindictum ferro & are in herbis foris, rore cœli conspersum, cum bestijs, ferisque habitantem Nabuchodonosor, pietas & throno restituet, & purpurâ decorabit: propone in vindictam Carmeli incolæ ruentem Bethlehemiten, pietas mitigabit: Adrastia, minetur præsentiam suam Nemesis, pietas à malo præservabit: verbo ad omnia utilis pietas, omnibus, in omnibus sese paratissimam adjutricem exhibebit. Pietas ergo ad omnia utilis, infertur optimè, probabitürque evidentissime; si Favoniâ afflante aurâ, auris benevolentiae præstita, debilem animabit Encomiastem.

ASt cur ego, cum Pnevmo cosmicis humanis actibus, superinducere attento Archæum? pietas ad omnia utilis? hæc ergo spiritus mundi? & rationalis quidem; hæc universalis forma vitæ? vel maximè Christianæ; hæc directrix operationum, præstantissima humanarum: decidit enim cum Magistratis, perorat cum advocatis, largitur cum divitibus, meritas refert grates cum egentibus, tutatur cum Patronis, reveretur cum clientibus, alit cum genitoribus, honorat cum genitis, omnibusque omnia facta, ab orbe condito, usque ad ultimum temporis nunc

nunc, universalem protectricem humani generis sese exhibet, dum
ubi male aspirando, spirare Protoplasti innocentiam desiere, non
solum respirare; sed etiam plurimos natorum natos, naturæ sterilis
transgressa limites, surgentes ad lumina vitae, docet spirare. Te-
stes invoco Philistæorum Satrapas, qui de sterili natum conspexere
impietatis suæ correctorem; testem Isaac Patriarcham, quem de ste-
rili pietas edidit, benedictum in semine suo, magnæ gentis propa-
gatorem; testem oculatum, quia de videntibus, Samuelem, quem
pietas è sterili pariendo, constituit DEUM inter & peccatores me-
diatorem; testem impollutum Joseph, quem pietas de sterili, pro
sterili tempore, providit universi orbis præclarum provisorem; te-
stem omni exceptione majorē, quia quo non surrexit major, Joānem
Baptistam, quem existentem in sterili Marianæ pietatis præsentia,
unxit in athletam, constituitque filij sui præcursorē. Et quid
multū egemus testibus? testis est dictorum vel recens in lucem
editus Ghisilierius, qui, quanquam fortasse non natus ex sterili,
communem tamen ita natis servavit methodum: dum parentum
unicus filius, quod multis; de parentibus pijs, quod plurimis; ma-
gnus futurus, quod omnibus evenire solet, nascitur, obstetricante
parentum pietate. Mellificabant in ore vagientis Jovis a-
pes, signantes ejusdem benignam divinitatem, divinamque beni-
gnitatem, afferente fīcto antiquorum elogio. Hieroni postea sicu-
lorum regi jussu paterno exposito, in os mella ingessere, prognos-
ticantes, regis affabilem benevolentiam, benevolamque affabili-
tatem, testante Plinio. Platonis in ore, apes æternæ felicitatis indi-
ces extiterunt, dormientis in cunis parvuli, ori mel inferendo, teste Valerio Maximo. Nil horum reperire est ad cunas Michaëlis; ve-
rū si illa præstantia, hæc præstantiora: si illa sublimia, hæc subli-
miora: si illa mirabilia, ista mirabiliora; ipsa siquidem æterna Sapientia, ad cuius imperium, non tantum moventur insectorum agmina, sed tota mirabiliter, disponitur totius orbis machina, dum attingit fine usq; ad finem fortiter, & disponit omnia suaviter, ipsa inquæ
æterna Sapientia, in anima vix nati ædificatura sibi domum, cerea
timoris DEI, pietatis, Divinarumque scientiarum impressioni aptif-
sima posuit fundamenta, Michælem in mellicream, mira meta-
morphosi, transmutans facem, cuius suaveolens ignis Domini ze- ignis De-
lotis

Lotis, spinas & dumeta quandóque depasceret heterodoxa ; unde ve-
es. c. 49. rissime annuente Siracide *memoria Josie in compositionem odoris facta*,
opus pigmentarij, in omni ore quasi mel, indulcabitur ejus memoria. In-
tonius dulcatur : de nato etenim sacrata nomini suo die nuntiat nomine
ram: sat suo Antonius, quòd Michæle sat in uno habitura sit Ecclesia. In-
uno. dulcatur : dum in via salutis firmiores figere pedes cupiens, prius
Sal: 9. sedere didicit ; non tamen in insidijs cum divitibus, sed solitarius &
bren: 3. tacens : dum stare non tota die otiosus ; sed in magna multitudine Praesbi-
trib: 20. terorū prudentū intentus monitis in magna constantia : dum ambulare
cli: 6. non cum impijs in circuitu, verùm cum eis qui dixerunt in corde suo,
Cap: 5. in domo DEI ambulavimus cum consensu. Indulcatur : dum cum Tobia
Sal: 11. juniore, quærens ductorem, Religiosos summè honorabat, ac Sa-
Sal: 54. cerdotibus, ut filius Parentibus, obsequiosum se exhibebat, ipso-
rum quidem avidus interesse discursibus, multò sed avidior in se-
quendis consilijs : unde & contigit, ut id quod præstolabatur avi-
dus, opitulante DEI gratiâ, perciperet consolatus, plurimùm nam-
que eo ut fieret, minimè cogitante quòd fieret, en duo candidissimi,
castissimi sodomitæ, ductores dices, intrant hospitium, & veluti
de cælo missi Angeli cum pietate suscipiuntur : certatur pro obse-
quijs, curat Pater, satagit Mater, opem utriusque exorat filius, du-
dum concepto affectui, hac data occasione, satisfacturus. Cref-
cebant desideria, dilatabatur affectus, expectabatur hospitale ab ho-
spitibus verbulum, quo consentiens, seq; tollens in altum alauda Mi-
chælitica posset irretiri : è contra hospites mirari plusquam huma-
nam humanitatem, stupere præclaram juvenis indolem, probare
ingenium, & super omnia vix non ad aliqualem mentis excessum
supermirari angelicam pietatem & probitatem. Quapropter tempus
adesse rati, Prædicatorum exequi munus, ad aures usque cordis
penetrantes inflant lituos, sacras salutiferæ crucis coacervant
frondes, præludentes, & svavemodulantes proponunt exemplis
provocatrices aviculas, silentium summum commendatur præ om-
nibus, panduntur retia : & ecce non frustra jacitur rete ante oculos
verb: 1. Mihaëlis, captus est, nec solus ; irretitus enim & Pater irretita &
Mater ; fugit mundum Michæl, & dum fugit impium latronem,
incidit in pios Laterones, qui facti juvenis legati à latere, latere do-
cuerunt, domesticos inter monasterij parietes thesaurum orbis
uni-

universi Michäelem. Quis hic non exclamaret? noscitur ex socijs,
si non cognoscitur ex se! ô! felicem Æneam inter duos Achates; fe-
liciorem Lot, de lascivo mundanæ cupidinis raptum incendio; fe-
licissimum Tobiam ductum ad extera, redditum Spiritus Sancti af-
flante aurâ, ad liberandam à dœmonio hærefeos Sponsam Ecclesi-
am. Delitescit ergo, catenis amoris viñtus & vinctus, corpore par-
vus, magnus animò Alexander: quia verò Prædicatorum regulam,
quæ docente Jordano Generale Magistro, est honestè vivere, dis-
cere & docere, frequentiore versabat mentis obtutu, eam ut suæ ob-
servantiæ redderet faciliorem, subsidium petere statuit ab humani-
oribus literis, ante ipsam earum notitiam, humanissimus. Pergi-
to! vel in ipso Musæi limine dimidium facti habens, qui bene cœ-
pisti sacratae Palladis Alumnule! & quas alij tardo gressu, tu Aquili-
no volatu transgressus vias, præfixum de quo deliberasti diu, statue
semel terminum; cuius odore à longè deletabaris, ingredere flo-
retu; cuius dulcedine trahebaris, invola alveare; apicularē inibi ope-
rā exhibitus. Bis quidē septenos años numeras, ætas delicata est,
sed nulla non ætas apta est prælio; quia omnis apta est cæli præmio.

Verùm AA. OO. quem immundum dicere volui mundum,
plenissimis oggannientem buccis audire videor. Heus inquit Pa-
tres! juvenis haud longo tempore, amæniorem aspectans lucem,
meæ debetur luci; Parentum solamen, reddatur unicus; sat citò, si sat
bene, non sat bene, si nimiùm citò. Nocuère consilia Catonica sæpe
juvenibus, quos mellea facta dulcedine vincula, ad sui traxere seque-
lam. Michæl! stirpis decus, domûs paternæ spes, charitum pri-
mogenite, speciosi veris floscule, an nescis teneriores frutices, rigi-
diori solis aspectui expositos marcescere? tenellule! an fidis regu-
laribus oneribus membra delicate non succumbent? ubi exquisita-
rum copia voluptatum, in quibus jucunderis dilectule? ubi dul-
cissimi colludentium socrorum joci, quibus consoleris blandule?
similes putas aëtus generabit Dominici habitus? scilicet:

Fistula dulcè canit, volucrem dum decipit auceps

Dion: C.

Ast etiam in deaurato radijs solaribus visco capta, tibi occinit

Difstich:m

6.3.

Danæ: Non reputes aurum, quodcumque refulget ut aurum.

Cave

^{m: c. 13.} ^{: in Buc:} **Cave** dulcis Ganymedes, nè pro Chrysendeto, aqualem sustinere brachijs cogaris. Expertus disces, quod hanc promissionum terram, non fœcunda torrentis botri vitis, imo Silvestris raris sparsit labrusca racemis.

Quare annue consilio, herbam porrige: ut florem recipias, victum te fateare: ut victoriâ potiaris. Vah! jam tua tandem acroamata persyasêre, ad tactum vocis tuæ; finè pausa retrahetur Michæl. Rationes tuæ sunt ad hominem: Michaël homo est; persvasisti. Mundus es: ille mundissimus; superlativus à suo consortio non excludet positivum. Crucibus plenus es: crucis amator Ghisilierius, unâ Religiosâ derelictâ, in plurimum amplexus ruet. Occine ergo triumphos! gratulare de successu! Lætare de victoria! at non tua, sed juvenis. Vicit ille respuens blandimenta. Spernit rationes ad hominem, Angelus incarnatus. Excludit è mente mundum, qui si totus mediterraneo laretur Oceano, nec partim mundus. Argumentum à mundo ad mundissimum non valet; mundissimus siquidem in benigno, mundus positus est in maligno. Actus mundissimi in superlativo bono, actus mundani consistunt in malo positivo. Crucibus plenum fatetur mundum, sed intollerabilibus, utpote ab instabili hominum gratia fabricatis. Quare indicens bellum, facto suo os tibi obliterat; nè fors tua occidente litera, spiritus non vivificet. Spernit voluptates, nè noceat.

Empta dolore voluptas. Hor: lib. 1.

Ad optimum malum sanctæ Crucis se Sacer Ulysses alligat, socios sensus obturat Salvatoris sanguine terra sigillata, oculos cingit modestiâ, nè videant vanitatem; auditum vallat pisces cogitationibus, ut audiat quid loquatur in eo Dominus DEUS; odoratui non suppeditat delicias fragrantia: utpote ejus, qui CHRISTI bonus odor erat; gustus refugit sapida, satiandus cum apparuerit gloria DEI; tactus fertur in Sacram Crucifixi Iconem, quam prendens, Sacris pedibus subjiciendo cervicem, erigit mentem, limpidissimos novus David eligit lapides, votis secundùm votum, Acherusium Goliath aggressurus.

^{Psal: 118.}

^{Psal: 84.}

^{I Corinthus:}

^{c. 2.}

^{Psal: 16.}

rus ; pectus candidissimo protegit scapulari, nigerrimi insidiatoris telis repulsam daturus; lumbos cingit zonâ coriaceâ, præcinctis fortitudine lumbis, & roboro brachio, latentis inimici infidias pessum daturus; coronam tonsoris operâ, delicato effigiat in vertice, perpetuum in servum ejus, cui servire, regnare est, se consecratus ; induitur candidis candidatus, perseverat probatus per omnia mortificationum malleis adamas, profitetur solemniter, Sacrae vota Religionis, sincerus Dominici virtutum imitator.

Levârat se jam à terra alâ Pietatis Serafim: alteram quoque qua spreto mundo superna petat, appetens, fertur ad domum Sapientiæ, Generale nempe studium Bononiense. Quis sat demiretur velocem in adipiscendis scientijs profectum ? legit & intellexit, audijt & cœpit, inter Sapientes primus, inter virtuosos supremus, nec mirum : exorsus enim promovente pietate, quæ ad omnia utilis, alatum effecit Michaelm.

Viderunt nunquam Bononienses agri præstantiorem elegantiâ lapidem Litheosphoron; dum non calci natus & ustus, sed studiorum corona, & justus præesse alijs valebat, non volebat, imò humilitate duce, locum indagabat poliedrum, ubi carbonis accensi instar rutilaret, scientiâ videlicet, & pietate. In cassum tamen : nam honor, qui sequentes fugit, fugientes sequitur, secutus & asssecutus, prompto obedientiæ pede, promptissimum ministrum Palladium, vel invitus ore Sapientissimorum Moderatorum, tum in Philosophiæ, tum in Theologiæ, benè probatus approbatur Lectorem; neque spes irrita Magistrorum : sex etenim suprà decem annis, utriusque facultatis innodata enodavit, intricata extricavit, obscura dilucidavit, confusa; claritate donavit, ignorantiæ, quam mala scientiæ appetentia Proto-Parentum invexerat, eam, cuius folijs nuditatem miserè operuerunt, ostendit sicum. Omnium in ore, omnium in corde, dum non s. P. Aug: solum docuit fideliter, quod facturus erat, verùm etiam fecit fortiter quod docuerat, cupiens remoto latitare in angulo, ut ita ser: de Cyp: in oculis aliorum minorem efficeret angulum visualem. Verùm, quia & à longè petita placere assolent, multóque amplius

plius quod domesticis sunt præstantiora, voto suo posteriorem, votis plurimis in Priorem, Vigevanum, Alba, Soncium exoptant, & voti compotes redduntur. Primæ Italiae Urbes, in Prædicatorem Sacrorum Adventus, & Quadragesimæ temporum exposunt, & impetrant. Plurimæ DEO Sacratæ Sponsæ conscientiarum directorem desiderant, & consequuntur. Paulus III. in Insubria hæreticæ pravitatis deputat inquisitorem, & zelosum experitur Eliam, qui pro innato honoris DEI zelo, hærefoes idola ad evertendum persequitur, nullibi locorum passus subsistere. Tattæum utilem, oculis inspergit salem, sal terræ: refractarios nullâ prorsus personarum habitâ ratione, Sacræ sistit Inquisitioni. Quia verò nec Jupiter omnibus placet, inquirendo veritatem, offendit in Principis amicum, & quia amicus Principis alter ille, offendit Principem; excitantur contradictiones, proscinditur: sed frustrâ Herculi! Elias enim noster veritatis hostem Jezabelem fugiens, ignea raptus zeli Catholicæ fidei bigâ, Romanas, ceu veritatis sedem concessit ad arces, commissorum sibi rationem ad ungvem redditurus. Spirantem adhuc minarum Saulum dixissetis, nisi quod hic fuerit persecutor Ecclesiæ, ille verò Ecclesiæ persecutorum. Sed cave Michael! ipsa tibi omnibus nota, ad omnia utilis infidias struet pietas, dum tuo firmata zelo, altiora sternet subsellia. Conclamatum est! conjurant binæ in caput tuum infulæ, dat votum Paulus IV. Jovis est authoritas, cui non licet refragari, Sutriensis & Nepesina sedes replicatum te percuperent: nisi certò scirent distinctas nè dicam Urbes, sed & Regiones, tui unius regi posse sapientiâ & pietate. Succumbit obedientiæ: nè videatur oneri zelotes, frequens commissum gregem obeundo iustrat & illustrat, pusillanimes exhortando adjuvat, pauperes ditando dotat, abusus, prædicando tollit, pietatem suadendo inducit, omne opus bonum desiderat: unum si excipias

• 3.

Id Timoth: Episcopatum, quem, dum quomodo subterfugeret, deliberat, pietate promovente, Summo Pontifice decernente, Cardinalium incidit in Galerum. Bene est, bene est! Michael Ghilieri, purpuratus nominatur Præsbiter Sanctæ MARIAE super

super Minervam : ut in quo Divina quondam fundamenta pietatis & sapientiae jecerat Minerva, super eam nunc fundatus, uberrimos utriusque proferret fructus, universo orbi Christiano. Magna hæc quidem ; sed modica pietati majora festinat adjicere. Sede námque Pontificiâ vacante, vacantibus electioni purpuratis Patribus, unanimi consensu, in Summum Romanæ Universalis Ecclesiæ Caput eligitur, & quanquam non est hic alia forma ex necessitate servanda ; imò quocunque modo appareat duas partes consensisse in aliquem tanquam in electum, jus habet, & verus Papa est : nihilominus tamen hic speciali Spiritus Sancti instinctu, modò speciali, Canonice electus est, & verus Papa secundum hanc electionis formam, quæ dicitur per inspirationem : dum Sancto pro Sancto suffragium ferente Borromæo, omnes purpurati Præfules in cella latitatem adeunt, coram incurvantur, pedibus advoluti ut summum Caput honorant, reluctantem, lacrymarumque madentem rivis, in Sacellum deducunt, & ut Romanum Pontificem, ità docente, sub nomine PIJ V. ità stimulante pietate, venerantur.

Innocentius
in cap. liceet
de Elect:

Ceremoniale
ex mandato
Greg:is comp.

Jam suo tandem satiatam voto censebam pietatem, satiata tamen minimè ; imò tum primò ubiores esurire utilitatis fructus incipit, ad omnia utilem PIUM V. Ecclesiæ universalí præficiendo. Non defuere sub ipsa sacri verticis coronatione Filij Belial, qui dixerunt : *Num salvare nos poterit*, rigidus zelus neo - coronati Pontificis ? ille verò dissimulabat se audire, nè cogeretur in adversos animadvertere ; audijs, ut pietatis munus redderet : *Spero*, inquit ille, *quod Altissimus mihi per suam gratiam largietur*, ità *meum regimen, instituere* ; ut populus magis doleat de mea morte quam de vita. *Frider: Steill,* in vita. *Quis amabo tot tantaque Pontificiæ hujus pietatis edisseret monumenta ?* Medeæ syasu mordaces colubri dentes seminare jussus advena Colchicus, quò veltere potiretur aureo ; Tullianæ seminandæ essent lingvæ hodie ; ut novis, & novis succrescentibus, de vellere pietatis aureo, vix tamen paria edicere posset orbis universus.

sus. Laudet enim hanc, turba frequens humili de plebe mendicabulorum, quorum nomina Summus Pontifex, veluti in rationali conscripta asservabat; supererunt Illustri sangvine geniti, at novercante fortunâ, egestate pressi, quibus largissimas pro cujusvis statûs conditione, eleemosynas erogabat. Laudibus celebrare satagant Matronæ nubilésque puellæ, quas dotando, vel cætibus sacrarum DEO jungebat Virginum, vel honesto in Matrimonio collocabat; supererunt Basilicæ, Collegia, Monasteria, Hospitalia quibus affluenter, congenitâ sibi plus quam regia munificentia; neverat opitulari. Paucis dictum: totus misericordias Domini in PIO V. deprædicet inops orbis, non satis ejus deprædicabitur pietas, quæ in tantæ processit perfectionis apicem, quod potius defecisse visi sint, qui donarentur; quam fatigata dextera quæ largiretur. Si hæc inedificabilia munificentiae pietatisque sacratissimæ sunt testimonia? ô! quanta & qualia testificabitur de PIO pietas zelo Christianitatis tuendæ armata! Ille malorum premebat conterminos, proximus ardebat Ucalegon, bella horrida bella gentis lunigeræ ignes spirantis & fulmina; Caspij maris æris inclemenciam clari, inclementiores accolæ, per loca Christianorum sparsi, sacra profanis, utraque igni miscent ac sangvini, perimuntur hæreditarij terrarum principes; nec sexui parcitur, nec ætati; ibi violentæ oppressiones Virginum & honestarum dehonestationes Matronarum, ibi abductio sub jugum turpis servitutis nobilium tenellorum, puellarum ac puellarum, ibi totius Christianitatis singulibus deploranda congeries omnium detestandorum. Sensus hæc venena in membris serpentia Caput: suamque sacerrima pietas, reputans calamitatem, summumque pietatis opus rata, si refringeretur impietas, insomnes noctes, inconsolabiles traducit dies: dum lacrymæ suæ fuere ei panes die ac nocte; vim vi repellere statuit, totque inenarrabiles Christianitatis ulcisci injurias, hinc frequens ingemianbat:

Psal: 41.

Ecli: cap: 4.

Pro justitia agonizare pro anima tua, usque ad mortem

mortem certa pro justitia. Unde & quō copiosus colligatur miles, panduntur gazophylacia, aurum & argentum à PIO non habentur in pretio, qui paratus fuerat suam quoque vendere tunicam, & emere gladium ad capitalem innocentium hostem persequendum. Sic Pallas armata sapit. Ut autem copiosius præcaveret pius Pater, nè à cruentis invasoribus læderetur pia Mater, subsidium à Filijs præstandum decrevit, eapropter Legatos ad Christianos destinat Princes, Hispaniam, Galliam, Portugalliam in fœdus invitans, Germaniam, Poloniā, Moscoviam, Melitam, universam Italiam excitat ad reprimendum hostilem impetum. Trabibus celeres contexuntur naves, antiquæ reficiuntur, re bellicâ ac annonâ instruuntur, in classem militari brachio refertam ne-
ctuntur, erectis figuntur malis carbasa, littus deseritur, animati anhelant pugnam Heroës; addit animos præsens promissis tam de spirituali thesauro Ecclesiæ, quām proprio æratio depromptis, imperterritus Agonotheta,

Quo non præstantior alter

Virgil: Aeneid.

6.

Ære ciere Viros, Martēmque accendere
Redivivos spectâssimus fortitudine Myrmidores, generosâ mente Hectores, præstantes animo Hercules, virtute potentes Troilos, impavidos Bullionios, intrepidos Plichto-zierotinios, Lunaticæ potentiae magnanimos suppressores Hunniades, Stephanos Bathoreos. Vexilla Regis prodeunt: dum in benedicto vexillo refulget crucis mysterium. Echinadæ spectantur insulæ totius Christiani exercitus votis fortunatæ. Nec mora: adsunt & ad Echinadas Echinorum cunei, tota cum potentia occurunt Mahometigenæ, duce Plutone, na- varcho Charonte è cavernis orci emissi ululantes satellites. Initur prælium, pugnatur, repugnatur animosissimè. Cruciatus tamen prævalet exercitus, Classis hostilis discutitur, Turcarum navigia, bellicarum machinarum applausu ruinantur, Archipirata cum primis pugnæ capit, mare rubrum alluit Echinadas, diripiuntur spolia, plura Christianorum milia, dura ex servitute, libertati restituuntur, toti hostili Chri-

stianus prævalet exercitus, sternuntur ferro, necantur plumbi plurimi, innumeri tamen globulis MARI Anis PIJ V.
qui pro

Claud: de 4. consul: honor: Omnibus afflictis, & vel labentibus actu,
Vel propè casuris, unus tot funera contra
Restitit, extinxitque faces.

Involabant jamjam Mahometano de nido lethales Christicolarum urbibus lemures, sed pietas

Idem. - - - Lethi rapuit de faucibus urbes.

Victoria! Victoria! Pontifex! Pietatis Inimicos Victor Superavit, dum levatis manibus superna fatigabat auxilia; cùmque levaret manus vincet, verus Christiani populi Moyses, felique Josue, qui lunam quidem non stitit; sed Pulchram ut Lunam ferventibus pietatis funiculis, de cœlo detraxit, quæ lunam sub pedibus habens, visibilisque in aëre apparens conculcaret lunigeros hostes Christianitatis. Hinc desursum firmata stimulabatur magis, magisque fatigari nec scia virtus Summi Sacerdotis ad suppressandam Tyrannicam potestatem. Satagebat facer Polydamas, eurrum quo longe latèque vehebatur iniquitas, non tantum remorari, sed & in pristinas, è quibus prodiere, cavernas, reprimere te-nebriones. Quapropter novas molitur auxiliares congregare copias; verum dum vincere cupiit, ut victoria de hoste extraneo, coronaretur nobiliore victoriâ de domestico, nam

Fortior est qui se, quam qui fortissima vincit
Mænia,

Oppugnatur ; non tamen expugnatur : vincitur ; non tamen
vincitur à fævientibus amarissimis doloribus. At ad hanc
quoque Victoriam Pietas utilissima , quæ ad pedes Crucifi-
xi scripserat : *Abfit mihi gloriari nisi in Cruce Domini nostri JE-
SU Christi* , quæ hócce votum appresserat : *utinam dirigan-
tur viæ meæ ad custodiendas justificationes tuas* ; eadem he-
rencia virtutis nuncia expresserat : *Domine adde dolorem*.

Ad Gal: c. 6.
Psal. 118.

Frider: Steill: roicæ virtutis nuncia , expreſſerat : *Domine adde dolorem,*
in vita. dummodo addas & patientiam. Additur dolor, augetur pa-
tien-

tientia, ingravescit morbus, intantum quidem; quod pisi-
fima solvatur corporis nexibus, PIJ anima. Ah! luge in-
felices tuas vices Urbium Princeps, Urbs septemgemina, ru-
bentes obumbrermini purpuræ, universa statum tuum de-
plora Christianitas: PIUS moritur. Moritur? imò ori-
tur; dum pietate piam quam commodârat restituente DEO
animam, in cœlo fulget munerum cœlestium luce sibi pro-
ximè subjectum gregem illustraturus. Abiit, excessit; imò
raptus cum Elia, suos tamen non deserit; dum æquali Abel-
mehulani vatis nos honorat, ut protegat hæreditate. Tri-
umphant hostes, æstimator translatum à Christianitate,
Palladium; sed illuduntur; transiit enim inter amicos, in-
sertum cœli gazophylacijs; quod majore cum emolumento
Christianitatis servetur translatum. Plaudet tibi applau-
de Pietas, de promoto à te, per tot, tantæque perfectio-
nis diversos gradus, ad astra PIO V. lætantérque con-
gratulare, quod Majalem, quem his Kalendis veneramus,
Flosculum, à te plantatum, clementia CLEMENTIS XI.
Sanctorum serto adnumerarit.

Ad Te demum tractus ad currendum post Te in odo-
rem ungventorum Tuorum, obtutum cordis mei dirigo, in
cœlis regnans Pontifex sacratissime! Ignosce, ah! supplico,
balbutienti lingvæ, ineptéque sermocinanti. Fateor; si mihi
opes essent Artemisiae, superare hanc vellem in constru-
ctione augustissimi Mausolei: si inesset Ægyptiorum scientia
artificum, gracilem honori Tuo, nubium æmulam superæ-
dificarem pyramidem: si Evandri peritia, plurimos appen-
derem, perpetuos alentes ignes, lampadum ordines. Quo-
rum omnium cùm inopem me conspiciam, oro vota OO.
AA. meumque de gloria per pietatem, adusque Sanctorum
fastos promotione, tibi gratulantum, lubens excipe. Vos
verò AA. OO: quod si fors Orator, Sacristanorum, ut vul-
gus ait, pietatis reus, minus pie de PIO, edixi; defectum
Servi inutilis, vestra suppleat pietas ad omnia utilis.

D I X I.

